



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

**Agobardus <Lugdunensis>**

**Parisiis, 1666**

Eivsdem Sirmondi Praefatio De Sententiis S. Avgvstini quanti meritò  
faciendae sint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14657**

EIVSDEM SIRMONDI  
P R Æ F A T I O

DE SENTENTIIS S. AVGVSTINI  
quanti meritò faciendæ sint.

**E**T SI de sancti Augustini sententiis nulli dubium esse potest, quin magno in pretio & honore habenda sint, tanquam admirabilis doctrina, sapientissimique, ut Eucundus ait, atque clarissimi Ecclesiarum Christi magistri, cautio in his tamen, ne fraus incurrat, duplex adhibenda est. una, ne male forsan exposita nobis illudant: altera, ut in laudando earum auctore modum teneamus. Multi olim Augustini epistolam ad Xystum intellexerant monachi Adrumetini, eoque ferebantur, ut liberum hominis arbitrium ab eo negari crederent, nisi erroris illos advenisset, suamque illis mentem aperuisset in libro de gratia & libero arbitrio. Prædestinatos rursus ad interitum quosdam cum scripsisset Augustinus, atque hoc nonnulli, quasi prædestinatos ad peccatum diceret, interpretarentur, Fulgentius contra, libro primo ad Monimum, prædestinationem non ad iniquitatem, sed ad supplicium intelligendam docuit. Prima itaque in verbis Augustini cura sit oportet, ut quo sensu accipi debeant exploremus; proxima, ut de auctoritate cum agitur, Augustinum sic amemus, ut eum non audiamus, qui illum supra quàm par est extollere student. Quod dum faciunt, non animadvertunt se illum ipsum, cujus laudibus indubgent, minimè faventem, sed adversarium habituros. Quippe qui ad S. Hieronymum scribens epistola XIX. solis canonicorum librorum scriptoribus honorem hunc deferre norit, ut nusquam errasse illos credat. De se autem tantum abest ut idem sibi arroget, ut horum similes quosdam amatores suos, qui de ipso aliter sentiebant, graviter hoc nomine reprehendat in epistola VII. ad Marcellinum. Vos autem, inquit, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos quorum malitia, vel ignorantia vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis, facile in ea me iudice supermini. quoniam non mihi placet, cum à carissimis meis talis esse existimor qualis non sum.